B. N. C
FIRENZE
1125
24

1125 24

Digitized by Google

1125.24

PHILOSOPHIAE TOTIVS NATVRALIS

SCOTICA ASSERTA

A FR: CYRILLO GOREBSCIO

POLONO ORD: MIN: CONVENT:

In Piſano Lyceo eiuſdem Ordinis Studente

ad publicè diſcutiendum exhibita

Dicata

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

D: FRANCISCO DE ALBIZIS

CAESENATI

Sanctæ Romanæ

Et Vniuerſalis Inquiſitionis aſſeßori.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

PVB. FLORENTINAE BIBLIOTH.

Piſis, apud Franciſcum delle Dote. *Superiorum permiſſu.* 163

PHILOSOPHIAE TOTIVS NATVRALIS

SCOTICA ASSERTA

A FR. CYRILLO CORENSCIO

POLONO ORD. MIN. CONVENT.

In Pisano Lyceo eiusdem Ordinis Studente

ad publicè disputandum exhibita

Dicata


ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

D. FRANCISCO DE ALBIZIS

CAESENATI

Sanctae Romanae

Et Vniuersalis Inquiſitionis Aſſeſſori.



1125 25

Pisis apud Franciſcum delle Dote. Superiorum permiſſu. 1637

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.

D. FRANCISCO DE ALBIZIS

NOBILI PATRITIO CAESENATI

Sacræ Romanæ, & Generalis Congregationis Sancti Officij Aſſeſſori.

Salutem.

SI nec nobiliſſimum inter metalla aurum (Illuſtriſſime, ac Reuerendiſsime Domine) in profundis primæ omnium telluris matris viſceribus concipi, amœniſsimiq; oblectationis flores de fertili fecunditatis eius gremio in tempore ſuo pullulari ſinè infatigabili ſplendidi illius æterniq; parentis virtute poſſunt. Si nec æquoreas nauicula ſecare vndas abſque neptuniano ſpiritu, aut certè ſublimis aquila gyrans in altum alas ſuas ſinè diffuſo àere extendere queat. Si demum, nec illa æthèrea habitacula circulariter per annos motus ſuos non influentibus ſibi Dijs immortalibus continuare valeant, cùm ſolus ille Moderator ſupremus potens eſt ſe ſolo omnia regere, gubernàre, atque diſponere; cur ego qui multò magìs horum inſufficiens ſum axiomata hæc Scoticæ ſpeculationis publico certamini expoſiturus

rus in publicum certandi locum abſque te Patrono, & Protectore prodire debeam? immo ea tibi & non alij, vt coruſcante tua ſapientiæ ſplendore tenebroſam ingenij mei aciem illuminares, teneroſq; ad certandum artus tua admirabili fortitudinis dexteritate confortares, conſtanti animo dedicare decreui. Et non immeritò. Quis enim tali ac tanto viro non deberet, qui tum genere pręcellens, & vitæ integritate eximius, tum virtutibus clarus & omni munere dotum inſignitus (Cæſenam origine & Religione vetuſtiſſimam ciuitatem ab Vmbris ante ædificium Romæ ędificatam, & à Sancto Thimoteo Beati Pauli diſcipulo degentibus adhuc Apoſtolis ad Chriſti fidem conuerſam) veluti ſchema mirabile exornat: qui ob ſublime nobilitatis, dignitatis, nec non honoris ſui acumen, quod in glorioſo eius ſtemmate triplicis circuli relucet, in triplici circulo ſtantes, in ſui admirationem rapit. Cuius beneuolentia inimici rumpit inſidias, affectum amici auget, neutraliſq; animum non ſecus ac magnetis virtus attrahendo æqualiter fouet atq; complectitur. Cui prudentia dignitatem, ſapientia honorem, fortitudo regimen, iuſtitia coronam porrigunt, tribunaleſq; in primis conſternunt ſedes. Quem propter ſcientiæ celſitudinem fideiq; zelum Sancta Romana Inquiſitio voluit ſuum habere aſſeſſorem, ſtrenuumq; contra impugnatores Eccleſiæ ac Sacrorum eius dogmatum, defenſorem: quē

etiam nunc propter eius profundam conſilij maturitatẽ Urbanus Octauus Pontifex Maximus Eminẽtiſs. Cardinali Ginetto. Sãctitatis ſuæ Vicario ad Principes Chriſtianos pro pace conciliãda Legato, deſtinauit Aſſiſtentẽ. Sed nunquid profundiſſimũ virtutũ tuarũ oceanum pertranſire potero? certè nedũm meæ diminutæ capacitatis munus, verùm nec diſertiſſima Tullianæ eloquentiæ lingua ſufficeret modo ad enarrandas heroicas animi tui dotes. Ergo dices Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Domine id me temerè feciſſe? talis ſit procul ab eo qui virtuti ſtudet, immo diu deliberando quonam vergere debeam, tãdem ex ſalubri perſuaſione Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Bernardini Manzonij Cæſenatis Inquiſitoris Generalis Apoſtolici huius Sereniſſimi Status, in te tanquam in vltimo deſiderij mei termino auſpicatiſſimè requieui. Hoc ergo generoſo animo, non exiguum operis munus, ſed magis ſimplicitatem animi cõtemplans, ſuſcipe, Religionẽ meã Seraphicã protege, meq; minimũ inter obligatos exoratores fauſtiſſimis fauoribus proſequere. Vale. Piſis die 7. Iunij A. D. 1637.

Dominationis tuæ Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

Humillimus Seruus

Fr. Cyrillus Gorebſcius Polonus.

FRAN-

FRANCISCVM DE ALBIZIS.

PRÆSVLVM DECVS

VENERARE RELIGIOSA MORTALITAS

Cuius gentilitijs Spheris inſedit

Secedens Terris Aſtrea.

Sueta quippe inter ſydera caput inſerere

Huius inter ſydereas virtutes

Diuinum intulit Verticem coronandum.

Agnoſce in labari Candore

Morum integritatem ſingularem

Venerare in purpureo Crucis inſigni

Orbes ſupereminentes

Supereminens virtutes omnes ſtudium

Promouendæ Vaticanæ Pietatis

Iure maximis Catholicæ Fidei rebus præfectum;

Merito ad perardua Chriſtianæ reipublicæ

Negotia adſcitum dices

Si præſentiſsimã eius in Cõſultationibus ſapiẽtiã

Fœliciſsimã in munijs obeũdis dexteritatem

Cum Aula Romana ſuſpexeris.

Tanti præſulis famæ proclamatiſsimæ

In ſpecimen cultus ac venerationis

EPI-

EPIGRAMMA
IN STEMMA EIVSDEM

A Spice quiſquis ades Crucis ſub numine ſtēma
Franciſci Albizi munera clara ferens
Æternam celſi ſedem ſignat Iouis, in qua
Sceptra tenens, mundi culmina cuncta regit,
Nunc vitam tribuens natis nunc nata reſoluens,
Æthereos voluit circulat atq; polos.
Hoc Deus, aſtra, ſolum, ceu triplex circulus inde
Mirantur, nec non omina fauſta canunt.
Herculeas ſuperat Vires dum circuit arma
Et furibunda ſimul pectora conciliat.
Ergo diù fama & laudes nomenq; manebunt,
Principio namque & fine carere vides.

Diſputabuntur Piſis In Eccleſia S. Franciſci, pro Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis Anni Currentis M.D.C.XXXVII. Hora 23.

Obiecta diluet idem Fr. Cyrillus qui ſupra ſub præſidio Adm: R. P. Magiſtri Angeli Rauennatis Franciſcani Gymnaſij Regentis, nec non Theologi publici Uniuerſitatis, ac Sanctæ Inquiſitionis Conſultoris.

Cu-

1 SCientia Vniuerſalis cum debeat habere ſubiectum Vniuerſale adæquatum ſibi ad quod cætera in ipſa conſiderata ſub propria eius ratione reducuntur, ideo etiam tale philoſophiæ naturali quæ inter Scientias ſpeculatiuas obtinet locum aſſigno, quod eſt Corpus naturale in quantum naturale, habens tria principia, materiã, formam, priuationem realiter diſtincta à ſe inuicem.

2 Materia præciſè habet ex ſe actum entitatiuum ſub vnitate ſpecifica in communi, & propterea eſt cognoſcibilis per ſe, licet inquiratur per aliud.

3 Cum non depẽdeat intrinſecus à forma poteſt manere ſine illa, & vt ſic, haberet locum definitiuè, quia tunc omni quantitate careret, quæ eſt ratio circumſcriptionis.

4 Vtrum verò in ſic exiſtentem agens naturale poſſet inducere formam difficile eſt determi-

nare

nare, affirmatiuam tamen partē magis defenderem.

5 Potentia ad formas in materia non eſt de eſſentia eius, ſed ſicut paſſio. Cum autem forma vnitur materiæ non oportet quod in ea inueniat tàm rationem ſeminalem, quàm partem præexiſtentem ſimilem ſibi, ſed totaliter extrinſecus aduenjens cum materia dat eſſentiá, & quidditatem compoſito.

6 Totum a ſuis partibus rationabiliter cū Scoto diſtingui aſſero, ſiue illud ſit eſſentiale, ſiue integrale, nec rationes aliorum ad oppoſitum quidquam valent.

7 Natura benè quidem diffinitur ab Ariſtotele ſed non parua controuerſia eſt, num principium in definitione eius dicatur principiū paſſiuum tantum? Dico quod ſic.

8 Quatuor genera cauſarum tantum ſunt, quorum diſtinctio ſumitur à modis cauſandi, & nō à cauſando, aliter coinciderent, nam quælibet reſpectu ſui effectus diceretur efficiens.

9 Euidens eſt vnum effectum produci a pluribus cauſis, ſiue illæ ſint totales, (& hoc ſi ſint diuerſarum rationum, nam de totalibus vnius rationis aliter eſt dicendum.) ſiue partiales.

10 Motus eſt actus entis in potentia ſecundum quod huiuſmodi, cuius eſſe materiale eſt in eodem prædicamento cum termino, formale verò in prædicamento habitus, iuxta quod eſſe ipſum diſtingui à termino nullum eſt inconueniens.

11 Vacuum non eſt, ſed ſi daretur vt poſsibile eſt, mobile adhuc moueretur in eo ad terminum, non in inſtanti, ſed, bene ſucceſsiuè.

12 Nulli dubium eſt, quòd omne quod eſt alicubi eſt ſecundum quodlibet ſui, quare debet habere correſpondentem ſibi locum. Hic autem eſt vltima ſuperficies continentis vt terminans vltimum cõtenti, ſpatium verò vt recipiens totum. Propter defectum primi vltima ſphæra non eſt in loco.

13 Rarefactio & cõdenſatio licet ex parte cauſæ multipliciter fiat, ex parte tamẽ effectus, rarefactio fit per acquiſitionẽ nouæ quatitatis, cõdenſatio verò per deperditionem præexiſtentis.

14 Tempus non eſt realiter diſtinctum à motu primi mobilis. Sed formaliter, entitas eius eſt Succeſsiua menſurans motus tam regulares quam irregulares cum adminiculo animæ.

15 Motus per ſe eſt ad tria genera, quem nõ ex-

cludo à ſubſtantia extenſiuè. Ad relationem autem eſt longè alio modo quam ad iſta.

16 Gradus ſubſequentes formæ abſolutæ per motum intenſiuè acquiſibilis manent cũ præcedentibus, tales enim continuantur, quia ſunt eiuſdem ſpeciei.

17 Nullum continuũ ſiuè permanens ſiue ſucceſsiuum conſtat ex indiuiſibilibus, nam dato hoc, alia vltra diuiderentur, & ob id ſolum, motus non poteſt eſſe in inſtanti.

18 Attamen quodcunque indiuiſibile ſicut punctum, linea, nunc, mutatum eſſe, ſunt quid poſitiuum reale, & non ſola priuatio ſiue carentia diuiſionis.

19 Non eſt neceſſe in omni motu mouẽs ſimul eſſe cum moto, nec omne quod mouetur ab aliquo alio mouetur. Elementa enim mouẽtur à ſeipſis effectiuè.

20 Hic tandem non eſt in dubium reuocandũ quin primus Motor ſit infiniti Vigoris intenſiuè etiam ſecundum Ariſtotelem. Et propterea iuxta eundem primum mobile mouet mediatè.

Ex libris de cælo & mundo.

21 MVndum eſſe vnum vnitate aggregationis nemo dubitabit, qui & perfectus eſt, non ſimpliciter ſed ſecundum quid; ſeclusis enim mentibus æternis ab eius vnitate, dabitur quid perfectius eo, & cui non eſt additio.

22 Poſsibile eſt plures eſſe mundos per eandem potentiam per quam vnus factus eſt, nec, admiſſo hoc, terra vnius moueretur ad terram alterius ſed ibi naturaliter quieſceret.

23 Cœlum non conſtat ex materia ſiue eiuſdem, ſiue alterius rationis cum materia inferiorum, ſed eſt eſſentia ſimplex. Quidquid ſit de ratione aliorum, ego cum Scoto principijs philoſophiæ inſiſto.

24 Determinatio numeralis Corporum cæleſtium licet magis ſpectet ad Aſtrologum, tamen & à naturali aliquomodo ex motu oſtendi poteſt. Nam præter ſeptem planetas, & Cœlum ſtellatum, & ſignatum, debet dari vltimum mo

tu diurno motum,& ſic erunt decem.

25 Inſuper cælum (ſicut ſtellæ) agit in hæc inferiora omnia, excepto intellectu & voluntate, quæ non patiuntur, niſi propter connexionē quandam quam habent ad ſenſus.

26 Oritur quæſtio. Num aſtra differant ſpecie? Concludo affirmatiuè diuerſa eorum operatione ductus, quæ ſola facit cognoſcere formam.

27 Licet autem conueniunt in hoc quod ſunt generatiua caliditatis, verumtamen id non eſt illis proprium, ſed propter lumē euenit, quod omnia recipiunt à Sole.

28 Cœlum eſſe formaliter animarum non eſt de mente Ariſtotelis, recederet enim iam à ſuis principijs, ſed tantum, per aſſiſtentiam. Hinc Auicennæ pluralitas fruſtranea.

29 In cælo ſex differentias poſitionum dari fruſtrà aliquis mecum contendet, ſed ſi quoad nos tantum dicet, ceſſabit diſcordia.

30 Hinc eſt quod motum cœli ex parte termini eſſe neutralem rationabiliter cum Scoto aſſero, non denegans naturalitatem eius quoad principium paſsiuum.

Ex

Ex Libris de Generatione, & corruptione

31 Corruptio vnius eſt generatio alterius, & è conuerſo ſunt veræ cõcomitanter, & hoc ſolum in ſubſtantijs & accidentibus illis quæ per motum fiunt. De cætero non.

32 Productio ſubſtantialis in eſſe non poteſt eſſe ab accidente ſiue in virtute propria, ſiue in virtute ſubſtantiæ ſed effectiuè à ſola ſubſtantia, & ſi cõagit, hoc tantum eſt per modum diſponentis.

33 Dantur corpora in quorũ vnica corruptione fit reſolutio vſque ad materiam primam, quam forma noua actuat abſque vlla qualitate præuia in ipſa.

34 Formæ homogeneæ non determinant ſibi minimam materiam ex qua produci poſsint, aſt de formis heterogeneis præcipue viuentibus, eſt oppoſitum.

35 Non eſt inconueniens, quòd eadem numero forma maneat in genito quæ prius erat in cor-

rupto, quandoquidem neceſſe eſt, vt proceſſus naturæ eundem ſeruet in deſcendendo, quẽ habet in aſcendendo ordinem.

36 Nunc certum eſt quod nulla mutatio ſucceſsiua eſt ſine actione & paſsione, ſed dubium in quonam hæc sint ſubiectiuè. Dico cum Scoto, Actionem eſſe in agente, paſsionem verò in patiente, vnumquodque enim eſt in eo quod denominat.

37 Accidit frequenter quod agens repatiatur in agendo à patiente quando eandem habent materiam, inde reactionem merito admitto.

38 Elementa vti corpora ſimplicia concurrunt ad eſſe intrinſecum mixti ſupplendo vicem materiæ, quæ non manent formaliter in mixto, ſed virtualiter.

39 Inde motum mixtorum prouenire ab ipſa forma mixti, & non ab elemento prædominante, bene animaduerto, nec in hoc diſcrepo à philoſopho, nam & ipſe hoc dixit propter conuenientiam quandam.

40 Mixta animata neceſſe eſt propter fluxũ partiũ nutriri, vbi eſt vera corruptio formæ ſubſtantialis nutrimenti, & generatio nouæ, eiuſdem rationis cum forma nutriti.

Ex

Ex libris de Anima.

41 Definitio animæ in communi ab Ariſtotele benè aſsignatur, dũ dicit ipſam eſſe actum Corporis phiſici organici potentia vitam habentis, & hæc quidem eſt à priori, illa vero in textu 1 & in 2 à poſteriori.

42 Ad generationem viuentis ſemen ſubiectiuè ſe habere, quod eſt corpus imperfectum productum à generante propter aliud, nullum habens principium actiuum, nedum productionis animarum, verum nec diſpoſitionis partium diuerſarum in corpore organico.

43 Si ergo quæres à quo iſta fiant? dico diuerſitatem partium à virtute cæleſti prouenire, animas verò immediatè à ſolo Deo produci.

44 Inconueniens eſt dicere quod mater non habeat ſe actiuè ad generationem fœtus, immo ſi rectè inſpicitur principalius eſt agens quàm pater.

45 Ea quæ accipiunt eſſe per propagationem æqui-

æquiuocam, vt genita ex putri, ſunt eiuſdem naturæ & ſpeciei cum propagatis vniuocè, modus enim extrinſecus non eſt ſufficiens ratio diſtinguẽdi intrinſecam naturæ vnitatem.

46 Animæ intellectiuæ conuenit eſſe totam in toto & totam in qualibet parte ſecundum eſſentiam & potentias; quæ verò ſunt extenſæ ſunt ſecundum partem in determinata parte.

47 Vtrú verò eſſentialiter reſpiciat omnes corporis partes ſub æquali modo? dico quod ſic, attamen ſtat quod eius principalis ſedes eſt cor & non cerebrum.

48 Non eſt neceſſe ponere plures animas realiter diſtinctas in vno animato, vt in animali, ſed ſufficit vna ſola quæ in virtute cõtinet aliarum vires, & operationes ipſis conuenientes exercet.

49 Attamẽ oportet vt in quolibet animato plures formæ ſubſtantiales ponantur, aliter deberet nuda materia ab anima informari, quod eſt abſurdum.

50 Potentiæ animæ ſunt idem realiter cum eâ, diſtinguuntur autem formaliter & ab animâ, & à ſe inuicem, per actus demum & obiecta extrinſecam diſtinctionem capiunt.

Obie-

51 Obiectum omnium potentiarū animæ vegetalis eſt vnum, quod eſt alimentum, circa quod licet omnes naturaliter exercéat actus ſuos, naturaliſsimum tamen opus eſt viuenti ſecundum generatiuam generare ſibi ſimile.

52 Senſus externi ſunt tantùm quinque, viſus, auditus, guſtus, olfactus, tactus, nec ſunt plures, qui & merè paſſiuè ſe habent ad obiecta.

53 Ordinauit natura tum propter læſionem organi, tum quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſū non facit ſenſationem, vt obiecta in ſenſibus multiplicarentur intentionaliter.

54 Et propterea dantur ſpecies ſenſibiles, quæ receptæ ab obiectis in organa, vnā cum ſenſu cauſant partialiter ſenſationem. Nec ob id ſenſus agens diſtinguitur realiter à paſſiuo.

55 Lumen quod ſe habet ad obiectū adæquatū viſus, vt quo, eſt qualitas intentionalis ſiue ſpecies lucis, & non realis, vt aliqui volunt.

56 Senſus interni ſūt tantū tres. Scilicet. Senſus communis. Phantaſia ſiue imaginatiua virtus quod idem eſt, & memoria. Qui voluerit dare plures, exuperabit.

57 Anima rationalis eſt foma informans, dans eſſe intrinſecum homini, & non per aſſiſtentiam

tiam

tiam tantùm vt voluit Auerroes, nec eſt vna in omnibus vt quoddam commune, ſed multiplicatur indiuidualiter ad multiplicationem indiuiduorum.

58 Poteſt demonſtrari ratione philoſophica ipſam eſſe immortalem, verumtamen de hoc apprimè fuit dubius Ariſtoteles.

59 Datur ſpecies intelligibiles formatæ de phãtaſmate abſoluto in phantaſia per intellectũ agentem, quæ poſt cum eodem vti cauſa principaliori cauſant intellectionem à ſeipſis diſtinctam realiter.

60 Intellectus agens & poſſibilis ſunt idem realiter, diſtinctionem eorum formalem extrinſecè animaduerto ex muneribus, nam primus producit intellectionem, alter verò recipit illam.

L A V S D E O.

ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA

Google

[illegible]